



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

VWillielmo Remen. Archiepiscopo, sanctae Sabinae Cardinali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

nica iustitia. Ad iudicium autem tam jurisdictionis Romanae Ecclesiae, quam libertatis vestrae, libram unam argenti nobis nostrisque successoribus annis singulis exsolvetis. Si qua igitur &c. Datum Romae apud sanctum Petrum per manum Rainaldi Domini Papae Notarii, vicem agentis Cancellarij, III. Non. Maij, Indictione prima, incarnationis Dominicae M C XCVIII. pontificatus vero Domini Innocentij Papae tertij anno primo.

VILLIELMO REMEN.
Archiepiscopo, sanctae Sabine
Cardinali.

Epist. 151.
Vt electo Cameracensi liceat resignare juri, & ut eligatur alius idoneus à Capitulo, intra mensem, vel instituat auctoritate apostolica.

CVM illos qui ad praelationis officium evocantur esse deceat sollicitos & attentos ut tanquam boni pastores vigilias noctis custodiant super grege sibi commisso, ne lupus rapiat vel dispergat, qui propter impedimentum cordis aut corporis aliquando ad hujus officij onus electi suam insufficientiam recognoscunt, & malunt praelationis officium resignare quam velint sub eorum regimine gregem dominicum deperire, gratum exhibent Domino, sicut credimus, famulatum, & petitionibus eorum favor est apostolicus impendendus: quia tutius est in Ecclesia non praesse, quam non prodesse, qui praesunt. Licet autem occulta cordium ille solus intelligat qui renum est scrutator & cordium, quia tamen à nobis tam ex parte tua quam dilecti filij Cameracensis electi extitit postulatam, ut si idem electus ejujuspian infirmitatis conscius, propter quam ad regimen ipsius Ecclesiae insufficientem dignoscitur, vellet sine pravitate aliqua resignare, liceret tibi eandem recipere cessionem, volentes, quantum cum Deo possumus, Cameracensis Ecclesiae providere, auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut si electus ipse propter praedictam causam sine pravitate renunciare voluerit, resignationem ipsius apostolica auctoritate recipias, & ascitis tibi venerabilibus fratribus nostris Atrebatens. & Ambianens. Episcopis Canonicos praedictae Ecclesiae studiosius moneas & inducas ut infra mensem post admonitionem vestram, personam idoneam sibi communiter juxta sanctionem canonicam eligant in pastorem. Si vero in electione facienda omnes, vel major & sanior pars, non po-

uerint convenire, ut ab eadem Ecclesia dissensionis in electione amoveatur materia, per quam jamdudum plurima sustinuisse dignoscitur detrimenta, ex tunc tu pariter cum praedictis Episcopis, vel eorum altero, si ambos habere non poteris, non obstante contradictione vel appellatione cujuscumque, praeficiendi ipsi Ecclesiae personam idoneam in pastorem liberam habeas auctoritate apostolica facultatem. Nulli ergo &c. Datum Romae ut supra V. Idus Maij, pontificatus nostri anno primo.

E I D E M.

CVM ad ecclesiastici honoris augmentum tuam sollicitam cognoscimus voluntatem, tanto tibi propensius in Domino congaudemus, quanto personam tuam syncerae caritatis brachiis amplexamur, & te tanquam praecipuum Ecclesiae membrum in domo Domini desideramus evidentiùs elucere. Pervenit siquidem ad audientiam nostram, quod cum ad ampliationem divini cultus & honorem Ecclesiae Gallicanae in Castro tuo, quod Mosomum dicitur, in abbacia ejusdem Castri disposuisses novum episcopatum erigere, à felicitis recordationis Celestino Papa praedecessore nostro super hoc licentiam postulasti: qui fratrum deliberato consilio, sicut in ejus literis continetur, tibi per scripta sua concessit, ut de assensu carissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Francorum, de consilio etiam venerabilium fratrum nostrorum Atrebatens. & Ambianens. Episcoporum, illud apostolica auctoritate suffultus, nullius contradictione vel appellatione obstante, in hujusmodi negotio agere procurares quod ad honorem Dei & Ecclesiae cognosceres pertinere, illos ecclesiastica distinctione percellens qui tibi super hoc duceant temeritate qualibet resistendum. Nos igitur ejusdem praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, de fratrum nostrorum consilio, ut in praedicta abbacia juxta praescriptam tibi formam à praedecessore nostro episcopatum erigere valeas, vel si malueris in eodem Castro Cathedrali Ecclesiam, cui praeficiatur Episcopus, fabricare, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem: ita tamen quod ab eodem monasterio

Epist. 152.
Quod novam Cathedrali ipsi erigere liceat. Cenobia tamen in illos usus non convertantur, sed cenobia permanent.